

Q. F. F. Q. S.

DISSERTATIO ACADEMICA
DE
S A N G V I N E,

QVAM

Permissu ac indultu Senatus Philosophici, in
Celebri Academia, quæ Aboæ est,

S U B P RÆSIDIO

Cl. Viri,

Mag. PETRI HAHN,

Scient. Natur. Professoris dexterissimi,
Academiar. Bibliothecarii

Et

RECTORIS MAGNIFICI,

Eruditis candide examinandam,
exhibet.

LAURENTIUS GEZELIUS G.F.

Vesm. Dalek.

In D. 25 Junij Anni 1691.

A B O Æ,

Excusa à JOHANNE Winter /
Reg. Typogr.

Admodum
Reverendo & Clarissimo
VIRO,

M^{ag.} LAURENTIO AROSELIO,

Ecclesiarum Salensium Pastori, & vici-
narum Præposito Gravissimo,

Plur. Reverendo & Clarissimo,

Dn M^{ag.} ERICO TULLENIO,

S. Theol. Lectori Gym. Arosiensis incly-
to, Consang. Colendo.

Reverendo ac Venerabili Domino,

Dn. OLAO AR OSELIO,

Templi Cathedr. Dioeces. Aros. Oecono-
mo Vigilantissimo, Affini besicent.

Vener. & Doctiss.

Dn. JONÆ HOLSTENIO,

Verbi Divin. Ministro in Barkarö
Fratri pariter junctissimo.

Macenatibus
ac Promo-

Pl. Reverendo Domino
Dn. DANIELI LINDBERGER
Ecclesiarum Huseby - montanorum
Pastori dignissimo, Avunculo suo
Honoratissimo.

Reverendo ac Clarissimo
Dno. JOHANNI GEZELIO G. F.,
Scholar. Narf. Theol. Lect. ac Cathed.
Svecanæ Rectori meritissimo, Fratri
long. desideratissimo.

Venerando ac Humanissimo
Dno. JOHANNI LEVANO,
Paroeciarum Sagoensis Sacellano Prim.
Fautori meo certissimo.

*Patronis
toribus optimis*

*Officiose offert
Auctor Respondens.*

Pereximie Domine Respondens.



Egina rerum **SAPIENTIA**; ne radis quidem sinceri honoris dignatur alios, quam quos commendant & dico benigno signant **RERUM DOMINÆ VIRTUS & PRUDENIA**. Crania illa vulgaria, que horum auspicia, suavitatem, ac dulce melos respuunt; ad **OPINIONEM**, stolidorum conservatricem, modestè alegat: de tuorum filiorum, quamvis paucissimi sint, constantia & fortis brachio, satis secura. Per hos conservatur & stat Religio, justitia, Potentia, regnorum bases. Alij qui hæc negligunt, confusionem non mediocrem inducunt; sub cuius clypeo nescio quid monstri alunt. Tuum est mi optimè respondens; hec & talia grandi judicio ponderare: amare artes, excolere prudentia regulas, arcana Scientiarum evolvere; Sparsa illa sunt, per celorum atria; per ele-mentorum regna; per universi mundi amplitudinem. Unde candida vetustas neminem in sapientum classe recepit, nisi hijs mysteriis probè esset excultus. Sanè v. in finem istum visibile hoc Palatium creavit DEUS, ac filio suo Homini, amorem impressè scrutari abdita natura; ut per visibilitatem, hæc ad invisibilium majestatem accuratius indagandam properaret, imò paulo solidius surgeret, quam ille surdus ad eterna Pythagoras Proinde optimè à Te factum est, mi Respondens, quod tam nobili contemplationi, Tuas meditationes consecraveris, id ostendit discursus hic de Sanguine. Scilicet, ut Vastam hanc mundi machinam Spiritus Salino- Sulphureo mercurialis beat ac sustentat; sic corpora nostra, rotque brutorum (exceptis exsangvibus, in classe viventium, in quibus idem liquor, quamvis sub alio colore, machinam confortat; hoc rubicundo nectare, bac ambrosia in suo vigore perseverat. Multa essent dicenda; quomodo hic fluor circulatur & per venarum meandros undulat, quomodo signat morbos imminentes, quomodo Temperamenta visibili colore notat. Sed ista alia vice persequar. Nunc Vale & Personam sustine in scena disputaria.

Adposuit

Tuus

DANIEL ACHRELIUS

IN

Præfatio.



Agnum, quo palestra eruditorum, oppositis
veteranis in antiqua militia exercitatissimis,
militibus novo pugnandi genere ac stratage-
matibus nihil non promittentibus, personare
cœperit, apparatum, ingens minitari discrimen, quanto
cuique est confessus, hōc cernit sibi cautius prospiciendum,
cuinam sese addicat parti, præsertim, ubi paria utrin-
que merita fidem emptam tenent æquo patrocinio. Quo-
circa ubi anceps pugnæ fortuna est, caussisque seruire ra-
tio jubet, proderit, derimente litem justissimo suæ cau-
ſæ vindice Deo optimo Maximo, discussò omni auctorita-
tis præjudicio, certissima quæque & tutissima expectare,
donec frustra habitis quibuslibet Thrasonicis jactationibus,
scilicet plures in hoc circō mavortem in lingua, quam
bumeris habent; veritas variis jactata æstibus, tandem
condigna erigat trophya. Consilium interim in arena
capere libet, dum jubeor quali quali ratione, tyro miles
exercitationis specimen in Gymnasio tali ostendere, exper-
turus quid valeant bumeri, quid ferre recusent. Ac hic
quidem mibi promitto tot judicia hominum, quot ne ul-
lis movere valeam votis, hoc minus retorquere, ne di-
cam à sinistris dextra reddere, ut citius Saguntinam fa-
mem, quam virium experimentum exposcerem, ne duo illa
animum in hoc studio maxime demissum erigerent. Con-
ditio invidiæ, quæ, ut ubique sub vexillo suo pellecta ha-
bet ingenia, mixta ignavioribus præclara, nunquam tar-
men, de felicitate sua habet, quod diu verèque glorietur.
Caussa est, quod stimulantes successus quique primi, sen-
suum sic sequestrent, ut ignara virium, inani sui opini-

one altius ascendat summaque petat, tanquam ignis, ubi
cum prodito scelere retortoque sepius in sua viscera telo,
male audire cooperit, semper talis præsumitur esse. At-
que sic audacia, quâ præclarorum, si diis placet, adori-
tur conatus anteuertere, ipsi omnem nervum strangu-
lat, ut virium diffusa non tam consertis armis pugnare,
quam è longinquō in cassum itura tela mittere audeat, ce-
dereque palmam cuivis, qui se non segnis objiciat, cogar-
tur. Animus deinde Ducum, sub quibus mereo, quibus
pro religione est, scriptum novum militem, domi pri-
vatim exercere, priusquam belli ineunda sit lucta, ut se-
qui signa aptareque corpori arma vegeti sciant, ac ma-
xime animos ad subita imperia habere paratos. Hec mens,
hic candor incunctanter rem agere jubent. Parendo po-
tius, quam sciscitando Ducum consilia, res militares conti-
nentur, animus modo sit & obsequii libido, consilium re-
liquum Duci relinquo. Bonorum interim, dum expecto
candidam admonitionem, que simplicissimis quibusque de-
negari non solita est, Ductorumque pronam lustrationem,
ne tanquam indignus pallidis militia dimittar, Mens
quoque numen habet menti delubra votemus, vota me-
tu belli perfide mome tui.

Sum-



I.



Ummi ne artificis consilio, an fa-
torum invidia, præstantiora quæque ma-
joribus sint obducta involucris, ut fru-
stra mens hominum inquietudine aga-
tur, ea penitus cognoscendi, non
magni anquiro. Sic tamen compara-
tas res nostras esse, non falsis hypo-
thesibus nec exemplis longè petitis, sed
unico velut è re nato commonstro:

Vultus quos architectus summus erectos
jussit esse, dum tanquam artificii grande specimen adverimus, stu-
pet animus præ miraculo, quicquid in encomium gestit proferre,
excellentiæ ac dignitatis præstantiam infra sentiet. horum in
meditullio, fixa lumina hærent universi capacia, spectatores sedu-
li, denegata ni esset suæ regionis lustratio, quantoque propiora
illa objecta, tanto in illarum cognitione & scrutinio hebetius ex-
peritur acumen, fraudareturque formarum speciosissimæ idæa,
ni interveniret beneficio speculativorum organorum ad hanc rem
inventorum, ex alienis nostræ aliqualis conceptio. Ac sic facilio-
ri via Colcos itur ostendunturque, in peracti feliciter itineris te-
stimonium, aurea arietis vellera, quam reseratis apertisque domi
scrinijs inclusi thesauri longe nobiliores numerantur, ponderan-
tur, aestimantur. Quocirca, ut multi omnium seculorum altius in
hæc perquirere fategerunt, aliis alii dioptricis inventis; primas ta-
men ætati posteræ reliquerunt: fatebitur & ea, multa in hocce
automato affabre adeo ab ipso summo opifice conglutinata com-
pactaque, ut resolvendis non sufficienti polleat cerebro. Proinde

sicut rem dudum desperatam, sanguinem Physicè pertractandum mea suscepit ingenij infantia, scio quicquid se prodat ignoranziae, cum eruditis id saltem habere commune, at vias penitioris cognitionis pariter incessisse, hoc usum aveo, speroque voti unice facillime fore compotem, dum, quam fieri potest arctissime, vijs, quas tot bonis omnibus præierant, insistam.

II.

Prolixorem in radicis hujus investigatione esse, vetat insti-tuti ratio; propositum etenim mihi habeo, studio brevitatis non altius in hujus materiae usum inquirere, sic enim in plura scientiarum genera lese diffundit, omittam itaque nisi, quæ hanc nostram, quæ Physica audit, dissertationem peculiariter concernunt.

Nelio qvanam levi aura inflatos cernimus, qui lingvarum omnes sic combinare imo confundere discipiunt, ut non dixero, quam singulas voces ad peregrinos fontes relegare contentur, nisi ut longa reputantes serie, genealogiam jacent nobilem, imo adulterinam: ambabus largior manibus occurrere in lingvis omnibus aliquam vocum cognitionem; non tamen cum ijs facimus, qui dialectos reliquas, ex prima ceu sancta, deductas ajunt. Frustra itaque hic recurritur ad scaturigines peregrinas; quamvis enim lingvam optimam suarum vocum interpretem credimus valentque vocabula singula, quemadmodum impoauerunt nomina, qui ea usurpant, ut numi verba. Sic non negaverim aliquam vocabulorum convenientiam videri cum Rabb. ΝΟΜΙ quod familiam significat, itemque aliqualem intervenire significationum concentum si homonymicam denominationem hinc ductam spectes, de qua paucis inferius; sed cum major has voces segreget inconvenientia, sint nobis diversæ nec uni cum altera quicquam commercij.

Idem dicendum de Græc. γένεσις, quæ & huic sua ope subvenisse credi possit, aliquos characteres largiendo, sed industria transpositio videtur nullo affectu hanc cognitionem admittere, sufficitque superius hoc remonstrasse probasseque ex fonte Rabbin.

Rabbinic non derivasse, cum hæ junctim ponant vel pervertant
de qua voce videtur Coh. De Lara in conven. Ling. pag. 27.

Neque omnino prætereundum studium Celeberr. qvondam Klotzij in hujus vocis deductione, cujus verba appono ex ejus de Sud. Christi sangvineo p. 50. Latinum sangvis Isidorus putat derivari à sanguis quod sanguis, jucundique sint, quibus sanguis dominatur. Beermanno nobilis ille & ruber corporis humor virtus que conservandæ instrumentum, dicitur *sanguis yua* quod membra corporis servet vegetetque, aut cuius vi *zavvua*, i. e. vi vere membra queunt.

Ponamus ergo ex thoro vere Latino prodijisse, nec fastu aliquo profapiam clariorem, ut quibusdam videtur, affectasse; non desunt, quæ, stante sententia hac, animos in nominalibus curiosos habeant suspensos, si ad singula attentionem commodare velimus, ut autem maneamus intra limites, difficile dictu utrum sit hæc vox origo ipsa, an vero aliunde dedueta. Non dum quidem convenit inter Grammaticos de vocum deductione, ac sic nihil, quod sciam generalis de hisce enunciarunt, hoc tamen procedere comperi, composita in sua simplicia resolvenda esse. Quod nihil me in hoc negotio remoretur. Certe non negaverim aliquid inter sangven., (sic enim antiquitus efferebatur) & ungven intercedere convenientiae, atque deductum videri ab ungo, quod antiquis ungui, vid. Voss. art. Gram. dictumq; quasi sanguinum ungven, ut videntur illa in *ngr* aliquid afferre liqvoris vel glabri, qualis deducendi ratio prolixior videri potest apud Scheff. in Ups. antiq. Sive velis à gigno, ut maneas intra periodorum superiorum circulum. Nihil quoque est, quod nobis objiciatur, recessisse nos ab usitatiore efferendi modo, quem hic tanquam bonum agnoscimus lubentes, videlicet per *sangvis*: nemo enim non videt quam sint hi inter se juncti ut inflectione aliquid invicem mutuentur videatur laudatus nobis Voss. de Anol. p. 150. Unde & loc. cit. Klotzius. Sed simplicius forte sanguem & inde sanguis derivatur à sanguiendo, quod corpus animalis sanctiat hoc e. stabilitat aut leges veluti sanitatis aut ægritudinis sanitatis, nisi quis referat ad Hebr. *v* quod coccinum aut rubrum

significat, sicut sandix & similia quædam à *san* inchoata, ex illo Hebr. rubedinis notionem ingerunt, Prout Beccm. obseruavit, Gerh. Joh. Vossio potius videtur à *sacrum* salvus, incolumis vel *sacrum* salvum & incolumem præstare, in sanguine namq; sunt Spiritus vitales, unde eo etiam effluente vita perit. Quare sanguis hominem *sacrum* indeq; nomen inserta litera V. Atque hæc cum speciosioribus quam verioribus nitantur conjecturis, nolim cante-
rius in fossa esse, ad alia me accingo.

III.

CURÆ meæ in Synonomorum collectione fortuna subvenit, quippe quæ ut rem compendiosius agerem immunem hanc jussit esse vocem nominibus pluribus. In solo sc. patrio, quibus in exoticis locis insigniatur non interest, nec libet atten-
disse, ne vel plura afferendo, ab exilio suo revocasse videar fastuosam prolixitatem, vel unum præ altero adducendo in reli-
qua injurius. Uno præter suscepsum appellari domi solet, certis idq; in actibus, sc. dum in eo est, ut ex corpore migret seu erumpat atq; extra sua domicilia eat, namq; cruento, qvod, ut minus sæpe exercens officia, non adeo familiare est, altero tanquam frequentiori nominatur.

IV.

DUM vindicanda vox est ab æquivocatione, Logicorum satis subtili scrupulo, præfari licet; si singula hic notanda essent, tantam sese huic vocabulo inferuisse significationum diversitatem ut vel majorem paginam desideraret singularum indagatio, quantam deductio & resolutio? Ast satis cuique notum existimo fore, quamnam hic considerandam suscepit, nempe simplicissimam per se nullis superinpositam distinctivis additamentis, prodentibus se ipsas nullius esse auctoritatis, respectu susceptæ, talia sunt oratorius, regni duplex homines & opes, sanguis item de cognatione. Quin & anima dicitur, de quo forte infra sese offeret dicendi locus. Sic & ijs tribuitur, quibus aliquid analogum com-
petit, vindicabit autem a talibus definitio ipsa, ad quam nunc itur

itur, neque enim poterunt nisi luceo obscuræ hæ censerī deductio-
nes ad unum quasi scopum singulæ collimantes.

V.

Usus grandes definitionum per terminos logicos, non raro in
pares abusus transiisse conquestum video magni ingenij Phi-
losophum, ingentique circa veritatem enucleandam, dispen-
dio, dum ea, quæ simplicissima erant, ac per se nota, ijs ex-
plicare conati sint, obscuriora reddidisse; proinde facilius mihi
ignosci credo, si illas omittam, quam si invehendi in eas opinio-
nes, libidine lites ex litibus seram, satis ut spero apparebit quod-
nam ventilandum produxerim. Nempe humidum ad corporum
fentientium conservationem solum innatum, qvod nusquam otio-
sum, hinc inde sele in omnes partes diffundit & prout tempe-
ratori gaudet mixtione, hoc munia exsequitur promptius. Hic
itaque noto 1. Motum 2. Calorem 3. Materiam 4. Officium.

VI.

Si Deus & Natura ordinem rebus ipsi sistant, nescio anne
sis ex eorum processu optime sit ediscendus; atque sic ob ce-
leberrimam in omnia hæc pronitatem, declaratam impiger-
sima semper agendi promptitudine prærogativam suo jure sibi
motus forte arrogabit, celebrandus antiquitate, principium exten-
sorum, eminentia originis, scil. Sapientissimus omnium creatu-
rarum conditor & opifex Deus. T. O. M. est universalis pri-
maria & generalis causa omnium motuum, qui fuerunt, sunt
eruntque in mundo. Sed ne extra oleas divagari videar, exce-
datque propositam formam pagella, potius necessaria prætere-
unda, quam supervacua amplectenda, ad motum statim huic tra-
stantæ aptatum me confero. Ut celebrandam, (quod attigi)
sese obtulit summi Dei potentia in motuum productione, sic nun-
quam otiosum horum quemquam voluit esse, sed mutuis qua-
si officijs subvenire jussit vis omnimoda: in eamque rem e-
gregios constituit gradus circumscriptisque modos singulis, inter
quos eminet sensitivae vitæ adsignatus: quippe, quæ non mo-
tu saltem universalí, quo servantur dum in incremento & corrui-
tione

pelone sunt omnia, mediantibus externis agentibus, verum speci-
aliori, scil. locomotiva facultate seu per se ipsam promoven-
di gaudet; quæ vis, ut longe est altera mere passivâ prstantior;
necessæ est eam ab aliquo immateriali dependere, naturæ tamen
sue lege, indiget in quo actiones exerceat, cui sanguinem de-
stinatum credo, degenerat enim in hoc, quod alii necessum ha-
beat inesse.

In successionis ordinem circa sanguinis motum inquisitu-
ro, video quam lata pateat errandi via. Quicunque ergo sit, du-
cem potius in hac expeditione sequor, quam ut sine duce o-
vans incedam, audio novos Philosophos, qui beneficio ignis innati-
fieri hoc ajunt, edocti viam ab ipso Cartesio, cujus verba in
majorem opinionis sive illustrationem sive exultationem adduco,
prout habentur in peculiari ejus De Hom. p. m. 4. Scire quoque
operæ pretium est, in poris Parenchymatis cordis contineri ignem
quendam sine lumine, quo istud tam calidum fervidumque redi-
ditur ut mulac sanguis alterutrum ejus ventriculum intrat illico
intumescat ac dilatetur. præterea ignis, quem describo in corde,
machina contentus nulli alii rei subservit, quam dilatando cale-
faciendo & attenuando sanguini, &c. ut ergo sit res in statu
ali, quam fuit præcessisse omnino sequitur motum. Sic celer-
rimo cursu per totum corpus distribuitur materiaque, quæ alias
in sua quiete permarsura fuisset temper extero impetu pulsa,
ubi moveri coepit ac agi, perget in celeritate, quamdiu ni-
hil occurrit, quod vel minuit vel sistit impetum. Non permittit
instituti ratio longius examinare, num sit hic fluidorum motus
localis, rectus an circularis, an ex his redundans tertius mixtus,
quod mihi verosimilimum videri sufficiat dixisse. Cuivis enim, qui
totis oculis rem intuetur, obvium est, quam tendant hæc omnia
conservationis amantissima, linea recta in universas corporis
partes, sic tamen, ut cogantur nonnunquam regyrare, aliosque
ductus querere.

VII.

Motum proxime Calorem pono; quem dum attentius expe-
rimur, ejusq; affectionis penes sanguinem, quod nempe san-
guinem

gvinem duncyli in animalibus nisi calidum persentiscimus,
 arctissime teneamus necesse est, enunciationes generales; huic nata
 haec creditur: Calor & ignis nunquam a se invicem segregantur; sed
 est hic proprium ejus, ut aijunt Logici inseparabile. Ostensum su-
 pra ignem quendam in cordis parenckymatis contineri, hic suos, lege
 naturae undique diffundit atomos, redditque ita calidum omne
 quod eos admittit. Nec enim quicquam fomenti desiderabis in
 hac machina, qvod ad alendos hos ignes imo augendos requiratur,
 de qua re periodo sequenti. Hic sicut natura sua, ut dixi, atemos un-
 dique dispersitur sic calidum ac servescens omne illud reddit
 quod harum capax est, retinet tamen penes se majorem partem; ut
 in fomite suo tanquam furno remaneat gradu longe eminentior;
 ne sic largus videatur ut quandoque ipse indigeat, facileque credi-
 derim proximiora quæque reliquis sibi destinatam præcipere for-
 tem, ne motus, intervenientibus spiritibus animalibus, quos sal-
 tem ut hic nominem, ex sanguinis fortiori materia prodeuntibus,
 æquabiliter eas divideret, destinaretque membro cuique sufficien-
 tem suæ conservationi modum. Cuivis tamen obvium, hic ut in
 aliis coniuncta prævalere, ac consequenter dissipata incurrire
 conetur: adeoque citius depelli suo contrario, frigore, calorem
 a digitis manuum ac pedum, aliisque tenuioribus, in quibus densa-
 tum minus sanguinem cernimus, quam trunco ipso crasso, sicut
 etiam in ferro ignito cuius partes aliae in cuspidem sele extendunt;
 alia massa crassiori continetur. Sic qui immitti fortuna experien-
 tur aliquam membrorum mutilationem, ex frigoris sevitia; infen-
 fissimum sentiunt hisce extremitatibus, ubi calor sanguinis mino-
 ri copia, non hosti impugnanti par est, desperatisque rebus motus
 socius alioquin junctissimus ipsum destituit. Dixi in superioribus
 tractandum suscepisse, qui ad corporum sentientium conservatio-
 nem facit, frustra itaque mihi hic quis objecerit, ex contingentibus
 invincibilem enunciationem induxisse, siquidem non semper hoc
 evenit ut sanguis calidus sit; qualis extra corpus animatum, nec
 in animatis semper, videmus pisces, in quibus plurimum materia
 frigidæ est, sanguine gaudere in quo vix quicquam cernas caloris.
 Satis in ijs videor præcavisse, ne latum nimis vestimentum conare
 subtiliori corpori applicare, & ita quidem alter qui extra corpus

animatum vulgoque crux dici solet, quod & attigi, non proprie hujs disquisitionis videtur esse. Quo facit quod corpora sanguine hoc inanimato plenissima vel saltē deficiētibus eum motu ac calore, rigescētia, sēpissime dicantur exsanguia. Eiusdem ponderis forte est alterum, quod negat omnibus sanguinem, quibus inest, necessario inesse calidū, excipiendo ea quæ naturæ sunt frigidæ, posito vere & non analogice loquendo, esse hoc sanguinem, nemo tamen negaverit calorem utut exiguum in animanti quoquā aliquod virium exerere; exiguitas tamen prius facit ut valde sit imperfectus, quippe qui raro apparet, nunquam vero quod sciam in omnibus partibus naturā diffusus,

VII.

Materiam huc remisi tanquam quæ opus habeat præmissorum ministerio in sui existentiam ac conservationem. Dicendum itaque primo loco ex quoniam hanc duxerit, non tam recurrere hic animus est ad prima quæque, videreque quomodo plurima ab opifice summo creata, in usus animantium altivos transeant, sintque cibi; hoc minus indigare ut elementaria quæq; alicujus alterius vi ac ope ament fulciri, atque ad aliquod aliud agens respectum habeant. Sufficiat nostræ brevitati notasse quomodo aptatum jamjam corpori alimentum, in sanguinem transformetur. Dixi, ut existant talia qualia nunc sunt corpora materiata, ad hoc externam opem ac alterum aliquod requiri. Nihil ergo a se ipso extitit præter ens Summum, nec subsistit, sequitur ergo quicquid est ab alio esse, consequenter autem, unius generationem alterius corruptionem esse, in corporibus physicis. Ut itaque sanguis sit, ad hoc necessario aliquid requiritur unde fiat, sc. quod Materiam vocamus, suppeditatur ea ex elementis externis sic dispositis ut cibi appellentur, vel aliquas ciborum vices agant, quam enim diversa ratione horum officio satisfiat non licet nec libet hic attendisse. Neque valde me remoratur objectio annon potius dicendum nutrimentum sanguinis cibos esse, sicutque ipsum, his priorem, neque enim prius edere ac vesci contingit, quam organa sanguinis ministerio suffulta hanc facultatem subministrarent. forte creatione prima antequam cœpit natura, suo fungi officio, virtutesque

tesque exercere, hoc obtigisse non diffitendum, ac talia animantia prima creata, ut nullis destituta præservantibus, omni fungi quiverint officio, quod natura inde sensim necessum habuit ediscere: at tamen nihil obstat quin deinde ex naturæ legibus, in sui conservationem vires hæc coacta sit expectare. Quid ratione hic procedatur satis liquet. Scilicet concoquitur cibus, furno huic operi fabricato immisus, vi liquorum quorundam, qui poros ejus illabentes ipsum separant, agitant, calefaciunt; donec corrumpatur, præstatque deinde dispositio tenuium filamentorum, ut perfecta hac concoctione, paulatim in ductum excernendis crassioribus partibus destinatum, descendat, subtiliores vero partes in poros intrusi post aliquos anfractus, in hepar colliguntur ibique condensantur convertunturque in sanguinen; fitque hic deinde medium vel ipsa materia corporis, puta, animati. Unde enunciatum: ex illis quæ edimus, constamus. Sequitur ergo hinc, esse sanguinis materiam fluidam compositam ex alimentorum partibus subtilioribus ac humore innato, quæ objecta refractiora, agentibus, maxime necessariis calore ac motu facilime penetret.

JIX.

Hæc tandem compositio qualem reliquerit formans exten-
nam restat indicandum, eam videlicet quæ ipsius extensi-
onis natura sensum oculorum feriat. Ac hic è novo de-
lieti veniam auctori suo pagella exoratum it, si forte extra li-
mites liberius fuerit expatiatum, ac non per omnia, quæ pro-
pria sint investigaverim suis circumstantijs, tanquam non pro-
fessus scientiam totius agrariae, sed in aliquam ejus functionem
intentum studium. Præfari itaque liceat, omissa enarratione di-
versitatis quæ circa sanguinis colorem deprehenditur, hoc unum
me agere, ut saltem indicem caussas hujus affectionis, cur ru-
ber sit. Sunt nobis in Physicis veritates singulæ, viæ ac nor-
mæ inveniendis, generalibus, itaque in exponendo sanguinis co-
lore, dum possum, non latum ungyem declinabo à Physicorum
positionibus. In hoc autem negotio primas ipsorum acumini
debeo, qui subtiliter satis hoc monstraverunt, consistere vim ac
B 2 qualitatem

qualitatem colorum omnium in temperamento, diversitatem sc. in illorum dispositione, qua alia densiora sunt, alia refracta magis, quin & alia poris rectioribus, alia in curvum subductis compatta, hoc præstare, ut diversas sentiamus, in oculorum sensu ab hisce formis prodeentes affectiones. Sed adhuc non negaverim ingentem molem incumbere, dum multiformem hanc dispositiōnem corporum, qua alio atque alio modo excipiunt lucem, hoc saltem præstare crederemus, ut alia pellucida sint obscura alia, vel saltem alba quædam, quædam vero atra; siquidem præter hoc nihil præstare videtur penetratio lucis, vel ejus privatio, ast ubi à præjudicijs sensuum veritatem ipsam vindicare didicimus, distingvereque probe inter ea quæ revera sunt, & ea quæ ex casu quovis mens nostra fixit; facile cognitu erit quomodo ex hisce subministrata sit occasio varias rebus assuendi formas, præter eas quæ extentionum sunt. Notandum itaque colores hosce nihil esse à reliquis, qui luci totum se dēbere agnoscunt, diversum, nisi quod à dispositione fluat, quæ ut diversimode oculorum sensum afficit, sic varijs conceptionibus menti imponere quasi studet, scilicet dum objectum ipsum ita sit compactum, ut aliqua resistentia reflectionem pariat, resultantem ex duritie & pororum recta vel obliqua dispositione. Unde sequitur quod non sua natura color quis, aliquid tale sit, quale apparet vel esse præsumimus; sed potius irregularitatem quandam visionis prodeuntem ex diversitate effluviorum, quæ sensum visionis inter & ipsius objectum aguntur, credendum; prout satis venuste differit in Dioptricis suis Cartesius, cuius ut hæc saltem verba adscribam, prout habentur p. m. 74. Cogitemus lumen in corpore luminoso nihil esse præter motum quendam ac actionem promptam ac vividam quæ per ærem & alia corpora pellucida interjecta, versus oculos pergit. &c. ac ne res novi quid videatur afferre, dum hisce remotioribus contactum imaginem celerrimum, eleganti rem illustrat exemplo, ex coeci cūjuscunque judicio, de objectis mediante scipione, qui hic sustinebit vices organorum visus; unde paucis interjectis: Neque magis videbitur mirum, illius ope tantam colorum varietatem apparet

garere. Et præterea: forsan credemus nihil esse hos colores in corpore colorato, nisi diversos modos, quibus hoc illos recipit & remittit ad oculos, si consideremus differentiam illam, quam cœcus in arbore, aqua, lapide & similibus deprehendit non minorem illi videri, quam nobis hæc, quæ in rubro, flavo, viridi & cunctis aliis coloribus, & interim tamen illas differentias in nullo corpore quicquam esse, præter varias rationes movendi aut resistendi motibus illius baculi. Quod iterum luculentius ut monstrat, præmissis demonstrationibus Mathematicis ductis & delineatis ex motu diverso Pilæ, pro varia ipsius agitatione, hæc subneicit: cogitemus itaque eadem ratione corpora dari, quæ dum luminis radiis percutiuntur, eosdem suffocant & omne illorum robur frangunt, & hæc sunt quæ nigra nominantur &c; alia vero mutationem inducere similem illi, quam recipit motus pilæ obliquo reticulo præstrictæ, & hæc sunt rubra, flava, cœrulea vel alio ejusmodi colore insignia. Atque sic, ut spero, quadam tenus retectis subtilissimis qualitatibus, quæ non raro circa colorum naturam sensibus imponunt, nuspiam prolixa indigere videor expositione permutationis, quod scil. nihil facilius, quam formam unam mox aliam ex inflexione minima, induere speciem, quamvis non necessum habeamus statim ibi recurrere ad matematice alterationem. vide quæ hic egregie differit Sperlingius in Anthropol. p. 552. Hanc tamen quæ ex illius compositione diversa, licet nullo fere negotio, prodit, pertinacius inhærere, cuivis in confessio est; ad quam ut ante deceplum à periodo hac regyrem, tanquam instituto convenientiorem, addo, illam suarum quæ sunt partium indefesse satisfacere, ut in suo de Homine scopius laudatus. Cart-Tenuiores cibi particulae (de his superius,) liqvorem componunt, qui prorsus albicans maneret, nisi permisceretur sanguini, in ramis venæ portæ contento, & porro: quin etiam hic notandum: eam esse pororum hepatis constitutionem; ut quotiescumque illæ liqvor (puta cui immista cibi particula) ipsum intrat; ibi comminatur elaboretur & colorem formamque sanguinis adipiscatur. Quemadmodum atrarum uvarum succus, licet albicans, in rubellum tamen vinum convertitur.

IX.

TAndem ubi eo res redijt, ut mea sponte iis plagiis irretitum
fatear, ex quibus difficulter me explicem, videlicet angusto
circumscriptus circa priusquam loco cedam, jubeor nunc
dicere ac resolvere officia & functiones sanguinis, quem sic per-
functorie descripsiteram, video in tanto discrimine constituto, quidvis
licere, ideoque non tam respiciendum qualis nomine, nodum hunc
solvam, quam telo quodcumq; tandem fortuna dederit viam mihi
sternendam, ne factū omnino intactum reliquam. Proinde stare pro-
missis/gratulorū non valde amplis, nitar, ultra præstissime detrecto,
Sic, ut in exordio dissertatiunculae vires & locum probe mensus,
vindicatam eam volebam omnibus subtilitatibus, quas scientia
Medica hic rerum observat; maximam certe molem a me in ejus
magistrorum homeros derivavi; quantumque ijs debeat pro inefel-
sa sua in hisce cura, censeo. Estque quod congratuler seculo no-
stro, quod viderit & etiamnum suspicit, qui haec abstrusa juncti
corporis mysteria domi peregrina sua, in abditissimis suis pene-
tralibus quasi e vestigio inseqvuti sunt. addoque horum sagacita-
te eductos nos, maxima sui parte, corporis nostri maehinam, il-
lius, puta Sangvinis, ope ac ministerio constare ac fulciri, nempe
dum materiam (ut vidimus) præbet illius existentia, illudque valde
alioquin torpens & langvidum rigat ac purgat; adeoq; vegetam red-
dit; ut certe dubitem, an dixerim ullam ipsi obtingere conditionem,
quin ipsi adscribenda vel penes ipsum causa sit quærenda. Credibile
quoq; est, illos qui corporis humani notitiam sibi familiaricorem ha-
bent, illiq; remidia vel antidota contra plures morbos ministrant,
non alio certo magis signo judicare ipsius vicisitudines, quam quod
curiosa experientia gloria ex sanguinis alteratione percepissent. Quid
multa, ut res quæq; majores raro suis terminis continentur, sed sua
ruunt mole, sic dum extolluntur nobilia, veritatem exedunt, & in
majus vero efferruntur, ut ait Hist. princeps. Adeoq; tantum digni-
tatis ultra excellentem quæ ipsi merito debetur, illi affixit vete-
rum Philosophorum cohors, ut illic pro furfuribus a farina excer-
pendis, multis ludare necessum habuerit delicatior atas. Qyippe
dum

Cum sanguinis grandes usus ac functiones viderunt, non dubitaverunt hunc animam ipsam appellare, quorum forte antesignanus Pythagoras, propter hancce illicitum, imo rem indignam professus est, polluere ora cruro, velut ipsius auratam insaniam prodit venustus Poëta Nalo. lib. XV. Metam.

*Cumque lupis urſi dapibus cum sanguine gaudent,
Heu quantum ſcelus in viscere viscera vefci,
Congeſtoque avidum pingueſcere corpore corpus.
Morte carent animæ ſemperque priore relictæ
Sede, novis domibus vivunt habitantque receptæ
Spiritus aque feris humana in corpora tranſit,
Parcite vaticinor cognatas cede nefanda,
Exturbare animas ne ſanguine ſangvis alatur.*

Aſt hæc ipsius opinio, cum ab oculatioribus ſimil ac prædicta refutata videbatur, tandem vir ingenio ac acumine inclytus Cartesius, tanquam ex hæc redolenti amphora quicquam novi olfeciffet, eandem posteriori ſeculo propinavit pateram, non aliam quam Sangvinem brutorum animam efferens, utque feliciori ſide-re ac ſuccedu hanc proſtitueret cognitionem, non ſiculneis argumentis Pythagoræ nití, non gentilibus nugis ac conjecturis hal-lucinari, videri voluit, ſed rationibus procedere, ac religioni an-cillari; itaque totam Oeconomiam corporis aperit, eaque perſpecta inferre conatur monſtrum quod ſummi opificis ſtructuras, ſi non omnino adæquet, per omnia omnino repreſentet, hinc ſpeciosa in-dustria ad architecti ſummi propositum provocat, quaſi, qui vellet, in majorem nostri commendationem, hæc prærogativæ no-bis gratificari, ut hoc ſolo præſtaremus animantibus brutis, quod anima gauderemus appetitu ſenſitivo prædicta, iſlumque loqventem DEum quaſi ſuorum operum interpretem adducit, (palmaria ſi genuino & non contorto ſenſu adhibeantur, ar-gumenta) prout prolixe monſtrat, ejus hic patrocinium agens Schuyl. præf. ad D. Homine. Sic Gen. IX; v. 4, Lev. XVII.

V. 14. Deut. XII. v. 23, &c. Sed hæc ipsius argumenta fācile evadantur. Prius quod attinet sc̄, rationem experimentorum, frustra quidem oleum perdet, neminiqve non obvium, quantum distet inter animatum corpus ac statuam, qui non forte se ab ipso fabricatum crebet. Alterum qvod spectat sc̄io dudum à Theologis & Philosophis pariter explicatum, eoqve abunde sufficiat adduxisse quæ his respondet Excellent. Woetius. Lib. I. loco De Creatione pag. 760. Scil. causaliter & concomitantē hoe accipiendum, qvia vita omnis causatur, sustentatur & declaratur per sanguinem, ex sanguine enim spiritus. Spiritus serviunt sensibus & in homine sensus rationi, dicendum ergo, sanguinem esse vitam vitalem & viventem non formaliter sed causaliter seu dispositive & conservative. Requiritur enim sanguis in corpore tanquam dispositio quædam necessaria, ad hoc ut anima in ipso corpore, tempore extenso conservetur. Sic non ratio prolixa mihi incumbit quæstionis, an sit sanguis pars corporis. Cautē certe ac prudenter huic subvenit Schola doctorum, partium rationem destingvens, ac ut notant aliquam analogiam muniorum in hac Republ. pro cuiusqve conditione, singulos ordines insignivit suis nominibus. Talia, similares, quarum pars quælibet idem est quā nomen & constituit aliquam partem integrantem. Dissimilares quæ tota requiruntur ut persistant. Primarias deinde vocant & secundarias, & ad ornatū pertinentes; Sic superius nobis laudatus Voet, loc. cit. Not. partes tripliciter dici: primariæ pertinentes ad primam constitutionem corporis, quales sunt solidæ. Ut ossa, carnes, nervi &c. secundariæ non pertinentes quidem ad primam constitutionem, sed sine quibus primaria non possunt habere nec esse naturale, nec consistentiam, nec operationem, quales sunt fluidæ ut sanguis &c. & pertinentes ad ornatū & conservationem aliquam corporis, non vero ad naturalem ejus consistentiam ut pili. &c. Ac hæc saltem observata, subsidio sunt, in digladiatione de pluribus scrupulosis quæstionibus lese offerentibus circa corporis humani conditiones.

Atque sic suscepta hanc spartam absolvisse videor, non omnino fru-
stratus desiderio, quippe pudorem, qui me subit, quod veritatem mul-
tis adhuc scatentem incertitudinibus reliquerim, compensat spes
de penitiori cognitione, ex ansa, quam scio aliquos arrepturos,
de hisce altius cogitandi, quorum administriculis informatus, gau-
debo ipsum me institisse sciendi aliquam viam. Quo & fine
alteram de hoc dicendi rationem paucis perstringo.

X.

Si, quod Scriptoribus laudi est, in imperiorum ac civitatum histo-
rijs tradendis, dum non raro aliqua interserant quae ad gentis
vel populi istius commendationem, veritatē fabulis juxta habitis,
faciant; nec mihi frequentes, in hoc exigui ingenii specimine, nævos
accire timeam, audebo ex vasto de hoc traditorum mari, qua-
dam rudi miterva excerpta, his apponere. Quocirca rotunde hæc
edico, si ubertatem materiei species, hoc tibi largior, esse tantum
non omnium, cui exstant sua encomia, copiosissimam; fin meam in
hisce persequendis curam ac studium, non negaverim remississimum.

Fabulas itaque ac ea, quæ superstitione quam veritate potius
nisi videntur prudens prætero, quale investigatio homicidiorum
ope emanantis sanguinis: producto occidente, qui alias cessaret,
cujus rei plura exempla affert, imo ut altum sapere videatur, caus-
tas adhinet Simon Majolus in Colloq. Physicis admirandis p. 35.
& 36. quod naturæ miraculum ut non sine exemplo est, dum si-
milia de prisorum in his regionibus ignito ferro tradantur, (vide
Loccen. Lex. in voce Jernbörð) in medio ejus auctoritatem relin-
quo, ne aliquam partem, sua antiquitate nostræ deroget veritati,
totus tamen persclusus sum, superstitionem ac perfidiam, Physica-
rum subtilitatum terminos, illic excessisse.

XI.

Prodigiosa quæque multitudo vetat recensere, quid dum de,
scribere. Quis enim non videt quam non populus nec gens
ulla sit in hisce peregrina. Primas certe ob excellentiam & cer-
titudinem nusquam dubitatum, illud Ægyptiacum sanguinis grande
miraculum tenet, quod monstrat S. S. Exod. 7. ubi jussu Summi Opi-

ficis aquarum flumen, sanguinis accepit pariter, cum forma naturam; hic veritas, una mille argumenta. Ex magno deinde historicorum senatu, plura monstrantur exempla eorum, quæ prodigiose sanguis saepius portenderat, talia non raro ipsi populo, ut auctor est Livius Roman. rer. venustissimus scriptor, citius administrandorum sacerorum curam injecerant: Sic manans e foro sanguis: cæloque abunde pluens, cumque dum sudant vexilla, ut adversæ fortunæ omnia. ipsi ingentem incussum metum, ac tanquam ex ipsis morborum causis petenda remedia, majoribus hostijs hæc procuranda erant, dandusque invidiæ sanguis Sed notioria hæc sunt quam ut tradidisse me credam, revoco saltem ad ea quæ cuiq; sunt perspectissima, atq; ita mihi in hisce plurium adstipulationem promitto. Hujusce quoq; rei moesta spectacula in patria nostra fese obtulisse, qui vel negaverit, domi suæ omnino hospes est, vel potius palam incuriosus veterum, qui quod afferant fasti, quos in dies manibus tractat, non cernit, vel fidem denegat dum quæ naturam excedunt, monstri similima inter antiquæ superstitionis argumenta reputat.

XII.

UTQUNq; de frequentibus in hoc orbe, singularibus tamen ac facile recensitis naturæ vicibus dictum est, nunc ea attingo, quæ perpetuitate sua & actorum mole, integros voluminum acervos efflagitarent, si singulatim secundum omnia sua fata essent tradenda. Sive instinctu naturæ, sive exemplorum longa serie a junctis factum sit, aliis observatum, non tamen æquo liberalius dixisse mihi videor, si sacrificandi cultum, ad primordia universi referâ, observatumq; continuo imitationis studio, eum, majoribus nostris, quem ut ut crassis tenebris involutum, a Mole acceperunt, credam; sicq; didicisse ab ipso gentes, non modo sacrificandi usum verum & applaudente naturali lege de qua paulo inferius, modos aliquales ac rationem approbassem. Duo omnino sunt, quæ animadverto mortales, hisce peregisse sacrificijs cruentis: delicta expiæ, deinde pro successibus dijs litasse. Utriq; obeundo non potuit non videri sanguis natus instrumentum: placatam forte iram Deorum ubi dedatur noxa, atque ut ad flagitia instigare copiam majorem sanguinis vulgo creditum, ita & petends ab hoc vindicta, vel

vel ut magnus quid. Theol. de sacrificiis cruentis Mosaicis in Hebr 9.
v. 22. videtur id primum usurpari cœpisse in criminibus gravioribus, ut per pecudis sanguinem, significaret is, qui offerebat, se, si Deus rigide agere vellet mortem meruisse. Qvam & fuerit consuetum de rebus feliciter gestis, palam hac ratione latitudinem obtestari, notius quam ut nominem, ac præcipue, in sacros usus, suam partem cedere debere exuviarum ac spoliorum de hostibus reportatorum. Illam deinde sacrorum rationem quamvis valde crassis umbraculis obscuratam, videmus ad populos saltem non uniuersos manasse, prævijs naturæ legibus, atque extra iactum alex credere licet, sacrificandi ritum sanguine præsertim, omnibus gentibus fuisse receptum. Historias ac rei exempla non licet, ne te, celebratissima adferendo, fatigem; per modestiam adducere: unis hisce vocibus periodum cludo, quod Romanis præcipue, nullus testis firmior rite peractorum sacrorum, eō esse potuit, vel omen auguribus diligentius interpretandum, quam quod ex sanguine & extis animalium ceperant,

XIII.

Restat, adhuc munus unum, cætera inferiora ut præterea in ob eminentem honorem, qvī illud concomitatur, non tacendum: scilicet, in foederibns pangendis, quod magna egerit munia, non enim inficiandum legibus divinis in tam sacro negotio faciles dedisse mortaleis prouum applausum: quippe qvis posci potuerit obses dignior tanto opere, qvam qui summam tenuerat imperij in corporis Republica. Quidnata in pactis divinis præstiterit non adscribo, ne temerarios videat incurrisse ausus, frugi illis commissa, qui solidiori S. Studij cognitione stipati sunt, manum immittendo. Aliqualem tamen ejus usum speculatus est e suis latebris paganismus, atque more suo abreptus est ad tanti mysterij profanam imitationem, placuitq; ad foederum authoritatem majorem, imo sanctitatem, sanguinem adhibere grandem servatorum vel ruptorum testem. Adduco quæ ex celebri tiss variorum nostis in Salust. leguntur. p. m. 391. Solebat quoq; foedus juxta Romanorum non solum, verum etiam

aliarum gentium morem, effusione sanguinis, seu animalium eae de confirmari præcipue porcæ, unde Virgilius :

*Post idem inter se posito certamine reges,
Armati jovis ante aras, paterasque tenentes
Stabant & cesa jungabant pectora porca
In flammam jugulant peccudes*

Vide & quæ in hanc rem Lev. i. Cap. 25.

Huc etiam refero antiquum pangendi morem, humano sanguine ejus mentione Tacitus facit. L. ANN. XII c. 47. Mos est regibus quoties in societate cœant implicare dextræ, pollicesq; inter se vincire nodoque perstringere. Mox ubi sanguis in artus extremos se effuderit levi ictu cruentum eliciunt atque invicem lambunt: id foedus arcum habetur quasi mutuo eruore sacratum, de hoc etiam Freinsh, in Florum p. m 315. Omnibus visum est, hominis jugulati sanguine libato, & visceribus tactis magnum & dirum iurandum concipere. Et Sax. Gram. Hist. Dan. Lib. I. p. II. Spoliatum nutrice Hadingum grandævus forte quidam altero orbatus oculo, solitarium miseratus, Licero cuidam piratæ solemni pactionis jure conciliat. Siqvidem icturi foedus veteres, vestigia sua mutui sanguinis a persone profundere conveverant, amicitiarum pignus alterni cruentis commercio firmatur. & Sol: Cap. 25. de Schytia haustu mutui sanguinis foedus sanciunt, non suo tantum more, sed Medorum quoq; usitata disciplina.

XIV.

UT solent magnæ commoditates in contrarium verse ^{ad} qualia afferre incommoda; sic hæc, quæ penes sanguinem quondam fuit religio, immutata, in grande transiit sacilegium. Quippe quæ modo adduxi, utcumque nostris moribus partem inconvenientia, sic tamen ex communi opinione, in sacros usus applicata, non potuere suis autoribus inhonestæ censeri. Ast immane ex hac gentium consuetudine excogitatum scelus, ubi successit in sancti instituti sedem, atrox omnino facinus præfert. Quo quidem in genere alia ut taceam, claruit illud Catilinæ, hominis omnis religionis obliti, de quo, inter ceteros, Florus L. IV. l. Additum est pignus conjurationis sanguis humanus, quem circumlatum pateris bibere summum nefas, nisi amplius

amplius esset propter quod biberunt. Notanter a hæc, qvivis enim abhorreret ab isto potionis genere tanquam ferino, quanto magis ab humano sanguine velut maxime detestabili, quid ergo dicendum de facto hocce, dum ad mentem ejus attendatur, quoniam proposito hanc conjuratis propinaret pateram, nempe ut significaret se tanquam vim ipsi naturæ illaturum, dum in viscera brevi foret sœviturus: vel ut habet contextor Observat, varior: in verba de his, Sallust. Fuere ea tempestate qui dicerent Catilinam Oratione habita, cum ad iurandum populares sceleri, sui adigeret, humani corporis sanguinem vino permistum pateris, circumculuisse, inde cum post execrationem omnes degustavissent, sicuti in solemnibns saeris fieri conlvevit, aperuisse consilium suum, atque edictitare fecisse, quo inter se magis fidi forent, alius alii tanti facinoris conciij. Non eos quidem improbo, inquit, qui multa hic cumulant exempla nationum, foedera sancientium sanguine, tantum dico alio fine factum a Catilina. Alii enim nihil se peccare putabant imperfecto aliquo, cuius cruentem haurirent, ast istud conjuratis pro scelerissimo erat, eoque crimine capitinis incurserant noxiā, itaque excogitatum potissimum ipsis, ne possent fallere, scil. quo minore spe venie cresceret vinculum sceleris; quia mutui metus et qualitas facit societatem fidelem, creditusque talem rationem, se scelerum consortem reddendi, respexisse gentium Apostolus ubi reos fieri dicit corporis & sanguinis Christi indigne illa affumenes.

Hæc nunc ubi finienda erit enarratio, voto signare ex more recepto per quam commendabili liceat: Sit itaque, qui suo sanguine mortalium emptum tenet, ipsi semper propitius degenerique parcat. Quemque supra reliquorum extulit, hunc eo, quo nunc stat fastigio servet ac protegat, cuius hujuscunque imperij viscera ac fontes jubeat diu beneque vigere, destinatque non nisi cum orbe sistentes cursum, scaturigines. Hujus præprimis nobilis

Lycei reconomiam, quo sensimus vigore, custodiat ac
provehat in tempora serissima, atque

D. S. G.

Frater natura ac desiderio junctissime



Orporibus vivis suis est in Sanguine rivus,
Si stiterit cursum, vita secatque suum
Cum partu genius formaverat humida prima
Quæque vigore volet tumque fovere cibo.
It cibus in chylum, chylus per lactea vasa,
Axillasque petit buncque sinistra capit,
Sanguificans humerus chylum hic cum sanguine misset,
Visitat & cor abbine; pulmo sed inde rapit.
Hinc petit auriculam subito cordisque sinistram,
Quaslibet in venas currere cor jubet hoc.
Continuo remeat sanguis sic corda, revisens,
Proseguoris frater quid faciatque crux.

Ex tempore posuit

GEORG. GEZELIUS G.F.

Tam sanguinis quam amicitiae jure mecum
conjunctissimo

Dn. LAURENTIO GEZELIO

Salutem multam.


Vam omni sapenumero, mi GEZELI, voto expeti-
veram, nunc sponte se obtulit occasio, ad te nem-
pe scribendi admonendique nos invicem, de neces-
sitidine quam non minus sanguinis communio,
quam vivendi necessitas inter nos introduxit ac sancivit. A-
deoque tanto ardentius hanc oblatam nuperrime oportuni-
tatem nunc arripio. Fama prorsus læta ad aures perrecta
est meas, te disputationem in lucem daturum de sanguine,
materia sane in qua una omnis vita animantium consistit.
Prudenter admodum abs te factum, quod argumentum ele-
geris, non modo arduum ac difficile, sed multiplici quoq; ju-
cunditate simul ac utilitate commendabile: satis ostendens
eorum consilia cibi probari, qui studia nostra sic instituenda
svadent

svadent, ut vitæ in primis sapiamus. Cumqve sanguis præcipua animantium pars sit, quam nos meti ipsi, qui homines appellamur, cum brutis habemus communem, nullum est dubium, quin proba & distincta ejus notitia ad cognitionem nostri multum faciat. Neque hoc negabit quispiam, nisi qui operam dare volet id, ut se ipsum turpiter ignoret. Quemadmodum autem dissertationem hanc tuam vehementer commendat materiæ dignitas, ita spes certissima ex tuo ingenio ac diligentia multum pretii eidem accessum, ut omnes fateantur non minus materiæ fabrum quam fabro materiam dignam contigisse. Sed nolo jam ire in laudes tuas, à quibus audiendis ipse, scio, alienus es. Nec alia de causa quam declarandi amoris mei in te gaudendique de iis, quæ tibi ex voto fiunt, calamum arripiebam. Eximios itaque in literis progressus, felicesque ingenii vires, tibi mi GEZELI, impense gratulor: Qyorum fructus ut olim latius percipias etiam atque etiam voveo. Scies autem nullam locorum distantiam, nullam temporis moram, amorem desideriumque tui, apud me posse minuere, sed quam natura mihi imposuit necessitatem, adversus te mea sponte ac voluntarium nunquam non declaraturum, ostensurumque tua non minus, quam mea mihi cordi esse, quodque ad cineres usque sim.

Tui amantissimus

Scribebam Upsale die 1.

April. Anni 1691.

JOH. LINDBERGER D.F.

Viro Juveni,

Literarum Gloria nec non morum splendore
admodum conspicuo,

Dn. LAURENTIO GEZELIO,
Amico & fautori suo sincere adamando.

Quamvis deperditum hoc omnium calamitatum tempestate prega-
nans seculum, majorum cum veneratione memorandorum tumulos

non solum rodat, sed etiam satis decantata, in bujus seculi obscuritate
denseque cæcitatibus conspicuam claritatem salutaria facta feriat, Nec
non denique omni humanitate exuta, nimis audacter recentiorum
edicta, qui quasi arduo prælio, admovendo sue doctrine clype-
num, semper armati sистunt, ad tuenda sua in lucem edita præ-
cepta, morosi quidam homines venenosis faucibus, absorbere & devora-
re, quasi non subvereantur, inermis tamen est fœda ista labecula & Ra-
sim convicta suisque relicta auctoribus, omniaque omnium percelebrium
ingeniorum satis splendida encomia deprehendit a viris eruditis, perpe-
tuo clangore divulgamuntur. Unde vides Pereximie Domine Respondens
quomodo obtrectatoris invidiae acies bebescit, & literarum gloria mag-
nes se induratum & invictum, toti doctorum choro, tripudianti similis
efferat, ubi laurea condigna coronabitur. Quare si literæ aureis suis colori-
bus dipingantur, & earum assidui cultores unquam in estimatione habe-
antur, tum & hæc tua, ubertate plus quam singulari feracis quidem In-
genii, contexta Dissertatio, stylis elegantia & amoenitate concinna,
perpetua dexteritate continuata, & denique frugiferis usibus copiosa, non
sterilem ac inanem meretur censuram, sed laudem postulat apertissimam.
Felicem quidem ingressum, auspicato vultu tibi condonavere fati, et si
optimum tuum parentem eorum arbitriis & rabiei mortis subjici acer-
bè percepisti, sed illa calamitas haud vulgare omen de feliori progressu
presagizat. Que quidem opinio neminem fecellit, Tu enim; Pereximie
Dn. Respondens, casle auripendium temporis summe extollendo & somen-
ta virtutis ardua admovendo, ita in Nobili illa palestra literaria Upsa-
lensi musis invigilasti, ut ea te pingui locupletatum præmio. vrtiosiss con-
decoratum ornamenti, ad celebre hoc artium liberalium emporium trans-
misericit, ut jam hoc, tua adornatum manu, sublime artificium disputato-
rii declarat. Quapropter ut foventi sidere orsus es, ita stimulo isto ve-
loci, citato cursu perge, tum summe Veneranda Trias in sue laudis propa-
gationem, bujus Lycei gloriam, Reipublicæ incrementum, Tue famigera-
tissime familie desiderium, & denique Tui ipsius commodum, felicissimo
te donabit egressu. Quod

Affectu sinceriori, quam alias effectu prolixiori
exoptat

ERLANDUS PLATINUS.